

ita in statu innocentiae prægustus damnationis locum non invenit.

§. XXI. Sed cum, post lapsum Protoplastorum, homines carnaliter geniti omnes sint peccatores, nec tamen æque omnes poculum istud amarum gustent, de ratione *discriminis* videndum est. Nempe peccatores *alii* per conversionem aut regenerationem fideles facti & in gratiam a DEO recepti; *alii* extra statum gratiæ relictæ aut e statu gratiæ, in quem jam collocati semel, iterumque fuerunt, rursus ejecti & iræ divinæ subiecti sunt. Fatendum vero est, neutrum classem a damnationis prægustu plane esse exemptam, aut quoad omnia, quæ continet, individua ei obnoxiam. De *impiis, infidelibus, & impænitentibus* equidem mirum non est, si his subiecti deprehendantur adversitatibus, quando alias pronunciat Deus, *impios non habere pacem. Jes. LVII, 25.* Certa multa præsto sunt exempla eorum, qui spreta lege divina, monitisque & comminationibus sæpe propositis, fero tamen, velut e somno expergefacti, antequam morerentur, prægustasse damnationem visi fuerunt: Quam in rem *Lutherus Tom. V. Altenb. fol. 1239. a.* scribit. *Es gehet mit den Gottlosen die Hölle an in diesem Leben.* Ac persecutoribus purioris doctrinæ talia accidisse, ex antea dictis constat. Ex adverso autem fatendum est, non paucos, imo magnam improborum hominum catervam, in ipsa securitate carnali, neque quicquam infernalium plagarum cogitantes aut metuentes, perseverante statu indurationis, ac cæcis velut oculis in infernum descendisse, eo fere modo, quo dives epulo *Luc. XIV.* legitur mortuus primum ac sepultus, jamque infernalibus tormentis subiectus, tunc denique sustulisse oculos.

§. XXII. Utrum vero prægustus damnationis etiam capaces sint illi, qui a religione Christiana penitus alieni sunt v. g. *Gentiles, Judæi, Muhammedani?* in quæstionem vocari solet. Sunt qui existimant, illos, qui gratiam Evangelicam nunquam gustarunt, damnationis quoque prægustu carere: quippe qui subtractionem specialis gratiæ Evangelicæ jam antea percep-

tæ